



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. Quæforma servanda sit, sive quæ juris solemnitates requirantur, ad
rei Ecclesiasticæ alienationem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

duo requiruntur, iuxta causam scilicet, & certam solemnitates. Ad causas quod attinet, communiter enumerantur quatuor, necessitas scilicet evidens, ut si ad debita Ecclesie dissolvenda alienatio necessitata foret. Evidens utilitas Ecclesie, ad evidenter meliora, & utiliora Ecclesie comparanda. Pietas, in redemptionem captivorum, aut sublevandam gravem pauperum necessitatem; & incommoditas denique, ut si plus damni ex tali retentione, quam utilitatis Ecclesie timeri deberet; reduci quidem hæc postrema ad secundam causam posset, placuit tamen eam distinctam ponere, ut cum aliis loquamur, *can. Terrulas 53. can. 12. q. 2.*

§. II.

Quæ forma servanda sit, sive quæ iuris solemnitates requirantur, ad rei Ecclesiasticæ alienationem?

Primo requiritur ad licitam talium, & perpetuam alienationem, si Ecclesia illa Capitulum habet, tractatus procedens cum Capitulo collegialiter congregato, ut deliberetur, dum iuxta causam alienationis faciendæ adsit. *Can. Sine exceptione 52. Causa 12. q. 2. & c. Dudum 1. h. t. in 6.* Secundo requiritur, consensus Capituli, aut majoris saltem partis, juxta *can. Canon. Sine exceptione*, & quidem illius Capituli, de cujus, quoad res suas Ecclesiasticas, alienatione agitur (si tamen Capitulum habeat, quod si enim nullum Capitulum, aut nullos Beneficiarios Ecclesia illa habeat, solius Rectoris alienantis, & Episcopi auctoritatem præstantis, consensus sufficit) ita ut sine legitimo consensu facta alienatio non te-

neat, quamvis per constitutionem Laicorum approbetur. *c. Cum Laicis ult. h. t.* Tertio requiritur, de jure communi subscriptio Capituli, seu Conventus, *Can. cii. Sine exceptione*. saltem in illis casibus, ubi plenum dominium transfertur; hodie tamen juxta receptam consuetudinem sufficit subscriptio Notarii, qui in instrumento alienationis testetur de consensu Capituli, vel ut in defectum subscriptionis, si nec Notarius fuerit adhibitus, sigillo Capituli instrumentum alienationis roboretur, & constet, vel probatum sit, tractatum Capituli, & consensum intervenisse, juxta regulam communem, quæ vult solemnitates extrinsecas requisitas, non ex nuda narratione haberi, sed ex ea probata, aut manifesto facto, ut ne occasio præbeatur, eludendo tales leges, nisi diuturno tempore, quod iudicis arbitrio definiendum relinquitur, juxta rei alienatæ qualitatem, instrumentum tale impugnatum non fuerit, ut pro valore alienationis, & requisitis solemnitatibus sit præsumptio, quæ in rebus antiquis multam auctoritatem habet. Quarto denique requiritur, ut interveniat auctoritas, sive consensus legitimi Superioris, ut paulo post videbitur.

§. III.

An alienatio rei Ecclesiasticæ prohibita alienari, si facta sit sine legitima causa, & forma, seu solemnitate requisita, sit valida, etiam si non sit licita?

Alienatio rei Ecclesiasticæ prohibita alienari, quamvis forma, & omnis solemnitas à jure præscripta, adhibita fuerit